



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

71. Vtrum recitantes Officium extra Horas præscriptas peccent mortaliter?
Et an cum causa neque venialiter peccent? Et quæ sit justa causa ad hoc
faciendum? Idem est de recitantibus in Choro Officium ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

uilegijs Religionibus Mendicantibus concessis. Et tandem dicitur Pater Quintanadueñas *Singul.* 19. & 20. lat. conatur firmare, quod infiniti possit Capellania, quæ verè sit Beneficium Ecclesiasticum, ad integram Capellani sustentationem sufficiens, cum ea conditione à Fundatore expressa, vt Capellanus non teneatur Diuinum Officium recitare: & quod Episcopus teneatur, vel saltem possit admittere, & auctoritate Ecclesiastica erigere prædictam Capellaniam sine obligatione recitandi fundatam. Et hæc omnia, vt dixi, docet Quintanadueñas *locis citatis*. Sed scio aliqua ex his à viris doctis non approbari: ideo tu Lector iudica.

5. Notandum est hic obiter contra Gauantum in *Rubr. Missalis, tom. 2. sect. 1. cap. 5. sect. 6. numer. 2.* Suarez, Filiucium, & alios, quos affert Bonacina de *Horis Canonice disputat. 1. quest. 3. punct. 3. numer. 10.* vt quis possit recitare Matutinum post Vesperas, nullam specialem causam requiri præter consuetudinem; hæc enim satis est pro causa. Et ita docet ex Henriquez & Trullench, Leandrus, de *Sacrament. tom. 2. tractat. 6. disp. 13. quest. 24.* Qui etiam *quest. 26.* optimè obseruat, posse Horas Canonicas absque vlla culpa veniali dici etiam in latinis, vbi venter exoneratur; quod etiam docet Escobar, de *Hor. Canonic. quest. 4. num. 208.* licet contrarium afferat Bonacina, *vbi supra, numer. 5. & 6.* cum Castro Palao, *tom. 2. disputat. 2. punct. 4. numer. 7.* Sed pro sententia affirmatiua Escobar *vbi supra* citat Sanchez, Faulum, & Trullench.

Sup. hoc latè supra in Ref. 45.

RESOL. LXXIX.

Vtrum si quis inuertat Ordinem Officij, vel Ordinem eiusdem Horæ, peccet mortaliter? Idem est dicendum de illo qui inuertit Psalmos. Et quid est sciendum, si aliqui in Choro inuertant Ordinem Horarum? Ex parte 2. tractatu 12. Ref. 16.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Vasquez *Opusc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 4. n. 66.* ita asserens: [Caietanus inquit, quod ordinem inuertere Horarum, non est mortale peccatum: vnde factum causa rationabili nullum erit; sine ea autem factum, erit veniale: & Sotus non audet hoc reprobare. Ego sanè, si rationabili fiat causa, nec venialis culpa damnabos; si verò irrationabili bis aut ter mortalem culpam non agnoscam; tamen sæpissimè, aut ex more id facere, existimo à mortali culpa non esse liberum; quoniam nimium iam ordini derogaret, & consuetudini Ecclesie communi; quod enim semel, ac iterum fiat, non censetur ita grauius consuetudinem Ecclesie lacerare, & dirumpere; & ideo non esset mortale. Et idem dicerem si inuertetur ordo Psalmorum, quod à veniali culpa nunquam excusari poterit, siquidem causa nulla esse potest, quæ excuset; idem enim est ei, qui hanc Horam recitare debet, hoc aut alio ordine Psalmos dicere; vnde, si non seruat ordinem sine causa facit.] Ita Vasquez.

2. Hæc sententia est probabilis: sed contrariam probabilior esse existimo, quam aduersus Vasquez docet Bonacina *tract. de Horis Canonice disputat. 1. quest. 3. punct. 4. numer. 5.* Et ratio est: quia, vt docet Reginaldus *tom. 2. lib. 8. cap. 2. numer. 166.* Squillante de obligat. *Cler. part. 1. dub. 24. numer. 47.* Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 12. numer. 80.* Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 24. dub. 13. n. 1.* & alij communiter, ordo non est de substantia: & per consequens, talis defectus versatur in quodam accidente. Imo contra Sua-

rez de *relig. tom. 2. lib. 4. cap. 10. num. 10.* Macignum *tract. de Horis Canonice cap. 45. num. 5.* & alios putat Bonacina, *vbi supra*, hoc etiam procedere, si aliqui in Choro inuertent ordinem Horarum: nam secluso scandalo, & alijs circumstantijs, ita facientes asserit non peccate: & ita etiam post Bonaciam docet Gauantum in *comment. Rubr. Missal. tom. 2. sect. 1. c. 5. tit. 8. n. 3.*

RESOL. LXX.

An quando Matutinum separatur à Laudibus in fine recitanda sit Oratio diei?

Et an peccet venialiter, qui sine iusta causa Matutinum à Laudibus seingit? Ex p. 5. tit. 14. & Misc. Ref. 48.

§. 1. **H**ic casus est frequentissimus, affirmatiuam sententiam docet Ioannes Baptista de Fabus de *sacr. Ordinis in communi, c. 19. q. 5.* Lezana in *questionum regularium c. 12. n. 16.* & Oluarius Bonartius de *Horis Canonice. lib. 2. c. 17. n. 4.* vbi firmant, quod quando separatim à Laudibus Officium nocturnum dicitur, tunc per *vers. Dominus vobiscum*, & diei collectam finiendum esse, *pro vlt. laudes Tertie, Sextæ, &c.*

2. Sed negatiuam sententiam tenet Sanchez in *opusculo. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 20. n. 2.* vbi sic ait: Quando diuiditur Matutinum à Laudibus, non est opus dicere orationem post Matutinum præterquam in nocte Natalis Dominici; vbi id præcipit Rubrica Breuiarij, quia nullo iure, nec auctoritate, nec ratione id probatur; sic ex recentioribus multi viri docti. Hæc Sanchez.

3. Verum ego magis adhæreo opinioni affirmatiuæ, quam consuetudo approbat, & docet etiam in his materijs veratissimus Bartholomæus Gauantum in *rubricis Missalis. sect. 4. cap. 2.* An verò peccet venialiter, qui sine iusta causa Matutinum à Laudibus seingit? Affirmat Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 8. quest. 4.* Nauarrus de *orat. cap. 3. num. 28.* Toletus *lib. 2. cap. 13.* & alij. Sed Bonartius *vbi supra num. 3.* probat, quod diuisio Nocturni Officij à Laudibus non est interruptio; vnde priuatum hoc fieri licet absque vlla causa.

RESOL. LXXI.

Vtrum recitantes Officium extra horas præscriptas, peccent mortaliter?

Et an cum causa neque venialiter peccent?

Et qua sit causa iusta ad hoc faciendum?

Idem est de recitantibus in Choro Officium diuinum extra horas præscriptas. Ex parte 2. tractatu 12. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo cum communi Doctotum sententia negatiuè: & cum causa, neque peccatur venialiter. Iustam autem causam puto cum Lessio, & alijs, esse maiorem deuotionem, vel periculum superuenturæ occupationis. Imò, quod est valde notandum contra Filiucium *tom. 2. tract. 23. cap. 6. num. 217.* Suarez de *Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 15. num. 11.* Azorium *part. 1. lib. 10. cap. 9. quest. 1.* & alios; etiam recitantes officium in Choro extra horas præscriptas, si scandalum non adit, satisfaciunt præcepto, nec peccant mortaliter. Et ita docet Valentia *tom. 3. disp. 6. c. 2. punct. 10.* & post illum Bonacina *tract. de Hor. Can. disp. 19. 3. p. 3. num. 7.* & Gauantum

RESOL. LXXII.

in comment. Rubr. Missal. tom. 2. scilicet. 1. capit. 5. Layman in resol. mor. lib. 8. tractat. 1. & alij.

De qua sine causa non legitur Horas Canonicas temporum determinari, peccet venialiter? De qua, qua causa rationabilis sit non recitandi Horas Canonicas statutis temporibus, in textu huius Resolutionis decisum invenies. Et afferunt posse Vesperas Quadragesimales legi priuatim post prandium sine scrupulo peccati venialis. Et non peccet mortaliter Communitas Religiosorum, si sine causa legitima Horas extra tempus prescriptum, aut eorum Ordinem inuerrat? Et non Matutinum, & Laudes sequentis diei post finem diei hora secunda pomeridiana, & quid in Quadragesima; Ex par. 7. tractat. 11. & Misc. 2. Resol. 2.

Clarum est non peccare mortaliter: difficultas est, si peccet venialiter, & negatim respondet Caramuel in Regulam. D. Benedicti, diff. 12. art. 1. num. 141. ex praxi virorum grauium & timorate conscientia; quia vix pauci determinatis horas in lectioe priuata obseruant, vnde etiam si lex aliqua olim fuisset de legendo officio horis determinatis, haec iam esset abolita per contrarium vltim. Sed neque sanctiq. inuenitur, quae horas, & tempora officio priuato constituat. Probatur, vel id decernunt constitutiones eadem quae horas publico officio prescribunt, vel alia; neutra: ergo. Primum, non alia; vel qui contrarium opinatur; legem ostendat obligatoriam, quae horas praedictum particulari officio. Secundum, illa sanctiones, quae tempora officij publici determinant, minime se ad priuatum extendunt; alias enim tenerent eadem hora matutina recitare priuatim, quod publice quod nemo admittit. Praeterea, cap. Jo. de cons. dist. 1. non minus indicit horam Vesperas Quadragesimalibus, quam alij Canones reliquis Horis: atqui hoc caput non debet exponi de officio priuato: ergo nec canones. Minorem probat in Caer. 2. 2. quest. 147. art. 7. Palacios in 4. dist. 15. diff. 3. fol. 130. pag. 4. Nauarro cap. Quando, cap. 3. Thomas Sanchez, tom. 2. cons. lib. 7. cap. 2. dub. 36. num. 5. qui afferunt posse Vesperas Quadragesimales legi priuatim post prandium sine scrupulo venialis peccati.

Subiungit Sanchez rationem, quae si efficax est, probabit omnes Horas mane aut Vesperis pro libitu legentis priuatim recitari posse: ostendit enim posse Vesperas Quadragesimales post prandium legi ex Rubrica Breuiarij, noui, feria 4. ciner. vbi quidem dicitur, has legendas esse ante prandium; id tamen, vt ait, non est ponere praecipuum quod singulos priuatim obstringat. Ergo in Matutinorum Rubrica eodem modo philosophari oportet, nempe asserendo eam non includere praecipuum, quod obliget priuatim recitantes. Ita Caramuel.

Sed eius opinio ita absolute prolata mihi non placet, nam communis DD. fert sententia peccate venialiter grauius vel leuius pro ratione praeuentionis, vel retardationis, si quis horas non persoluat statutis temporibus absque rationabili causa. Et ratio est quia quamuis non obligentur ex vi praecipij illis & solemnibus horis officium Diuinum recitare, obligantur tamen ex decencia, & congruita

te ipsius officij, quod ideo appellatur hora Canonica, quia certis quibusdam diei horis secundum Canones sit persoluendum, & illa hora potissimum delecta sint, in quibus praecipua salutis nostrae salutis peracta sunt: Verba denique ipsius officij saepius temporis meminerunt, quo recitandum, vnde contra rationem, & ordinem ipsius erit alienis plane horis illud persoluere. Vnde etiam si non peccetur contra illud, quod est substantia ipsius officij, peccatur tamen contra id quod in eo est accidentarium.

4. Praeterea stabilitur ratioe petita ex D. Tho. 1. 2. quest. 83. art. 4. ad 2. vbi dicit peccatum veniale committi in non seruando modum rationabilem adimplendi praecipuum quem lex praetendit, quod hic fit; quia lex praeciens recitari horas canonicas, praetendit, vt recitentur obseruato praedicto modo, & circumstantia horarum debitam, & recte. Dicit enim Apost. & obsecrat. ad Rom. 12. vt exhibeamus Deo rationabile obsequium, λογικὴν λατρείαν, prout videlicet recta ratio dicitur conueniens esse & expedire.

5. Declaratur exemplis; Vno quidem de Eremita cui Angelus interdum maturas, alias acerbas, nonnunquam putrescentes vnas adhibebat, prout videlicet tempestiue, praeproperè vel tardè penium horarium exhibuerat, quod plerique Canonista cum Ioanne Andrea referunt, in cap. 1. de celebr. Miss. & Summarij verb. Hora Canon. Altero vero, de S. Seuerino Colonienfi Episcopo grauer in purgatorio punito ob horas Canonicas omnes simul manè recitatas non seruatis temporum interuallis, quod narrat Abbas postea Victor III. Rom. Pontif.

6. Non nego tamen, vt me citato docet Trullench in decalog. tom. 1. lib. 1. capit. 7. dub. 18. num. 6. nullum peccatum committi ab eo qui non recitat intra tempus à iure praefixum, seruata tamen loci consuetudine, quae consuetudo si legitime introducta est, licite seruari potest, & in hoc casu admitto sententiam doctissimi Caramuelis.

7. Si tamen quaeras quae causa rationabilis sit non recitandi horas statutis temporibus, assero quod talis causa est occupatio studendi, praecedendi, concionandi, negotium aliquod temporarium expediendi, opus ad publicam vel amicorum vtilitatem pertinetis praestandi &c. Quod si non solum honesta vel vtilis causa, sed etiam legitima interuenierit etiam Vesperas mane perorare nullum erit peccatum, vt patet ex cap. Presbyter, citato, v. g. si iter aggrediendum, si diutina occupatio, vel molesta multorum negotiorum turbatio praesentibus sit, ita communiter DD. quin addit Caier. supra etiam consulti à iure praenitri tempus, vt quietis, aut deuotius dicatur officium. Vnde nullum sibi scrupulum formant viri Pij propter varia vitae mortalis impedimenta sub horam quartam pomeridianam priuatim officium matutinum adiunctis vel separatis laudibus dicere, mane verò ante Sacrum Primam cum Tertia, post Sacrum verò Sextam vel Nonam vel omnes horas paruas simul ante Sacrum, post prandium verò circa horam secundam Vesperas & Complet. Si enim in Choro, vt supra dicitur, consuetudo Ecclesiarum sequenda proponitur; quis veret mihi priuatim precum curriculum absoluenti insistere motibus virorum tum pietate, tum doctrina praestantium? Quo circa iudico sufficientem causam moderatè praecurandi vel postponendi horas Canonicas esse bonorum consuetudinem nullamque altam requiri, vt autem insolita aliqua praeuentio vel retardatio introducatur, v. g. vt quis mane dicat Completorium; vel à prandio

Sup. his in Resol. not. seq. 5. vlt.

Sup. hoc cursum in Resol. praerita & in Resol. seq. §. Sed se.